

Am 7

NICOLAUS CHRISTOPHORUS  
LYNCKER, JC.

CONSIL. SAXON. INTIM. JUR.  
FAC. SENIOR, & h. t. DECANUS.

L. S. P. D.

---

J E N. Æ,  
Literis Joh. Jac. Bauhoferi.






\* \* \*

Non eas tantum voluptates,  
quæ molestias si quæ sunt virtutum solari  
possunt, quasque masculas rectè dixeris,  
innoxias esse constat, quippe quæ in par-  
tibus animæ interioribus exultant, quo-  
ties illa honestis actionibus asseverit; verum & in sensibus  
sunt delicæ, quas pedisequas suas esse non dedignetur vir-  
tus. Est lætitia, quæ cœlites perfundantur, nec venustas quæ-  
libet omnisque delectatio in vitio est. Hinc innoxia volu-  
ptati in re propriâ Leges nostras quævis indulgere videas, &  
in re alienâ si quis voluptati quid impenderit, utut nil reci-  
piat, quia fecit tantum ut ornata magis sit species, at fru-  
ctum ejus non adauxit: *l. 7. pr. d. impens. in rem dot. fact.*  
*l. 79. §. fin. d. V. S. l. 198. d. V. S.* indeque non nisi abrasio-  
nis facultatem habet; *l. 9. ff. d. impens. in rem dot. fact.*  
Tamen si quid oblectationis ejus adprobaverit, & ad ani-  
mum suum receperit Dominus, quasi in rem ejus versum, id  
quod voluptatis causâ comparatum est, habebitur. *l. 3. §. 4.*  
*ff. de in rem vers.* Imò si voluptatis quædam fuerit uti-  
litas, consulendum est possessori alienæ rei, ut ne onerosus  
Dominus audiatur: *l. 25. d. pignor. act.* idemque si in rem pro-  
mercalem impensæ illæ erogatæ sint, *l. 10. d. impens. in rem*  
*dot. fact.* aut carius illa res vendi nunc possit, *d. l. 3. §. 4.*  
existimandum est. Enimverò licet per se nulla sit in deli-  
ciis & voluptate *lucris* utilitas; est tamen utilitas aliqua *ho-*  
*minis* animum vel corpus, ejusque robur ac sanitatem per-  
ficiens:


ficiens: l. 13. § 4. ff. de usufruct. adeo ut etiam in fructu esse merito censeatur, quia nempe hominis ille fructus est, quem usufructum jure appellamus. Nec enim ditiores fieri usufructuarius oportet, saltem quoquo modo gustui ejus ac voluptati satisfiat: l. 7. in f. l. 13. § 7. d. usufr. quoniam loco Domini consistit, qui re sua qualibet innoxia ratione ad delicias quoque utitur. Hinc inter disidentes sententias placuit, statuarum quoque & imaginum usufructum relinqui posse, quippe quod vel inde sit utilitas earum, si quo loco opportunum ponantur; l. 41. pr. ff. d. usufruct. & vel ea ratione nude oblectationi inserviant: item histrionis aut palæstræ servi, l. 15. § 1. eod. l. 12. § 1. quib. mod. usufr. am. nec non veterum numismatum; l. 28. d. usufruct. ut tamen horum aliqua ad lucrum quoque aliumve usum extra delicias, quibus destinatae fuerant, adhiberi possent: cum & numismatibus pro gemmis uti mos fuerit, memorante id in d. l. 28. Pomponio. Quamvis autem eo magis admissum fuerit, ut usufructus etiam ad gestationem & deambulationem pertineret, d. l. 13. § 4. d. usufruct. l. 16. § 1. quod vi aut clam. l. 14. § fin. d. alim. & cibis. legat. quoniam hoc quoque ad sanitatem fieri potest, semotum usu voluptatis; similiter quasi usufructus unguentorum & odorum facile locum invenire quiverit; l. pen. d. usufruct. ear. rer. Tamen etiam usufructuarius gestandi & deambulandi, floresque decerpenti potestate, gaudere posse, ex l. 12. § 1. de usu & hab. planum est; haud dubie quod ad necessitatem corporis animique ejus hoc referri debuerit, cujus usus & perceptio in ipsius usufructuarii personam terminaretur, vel saltem domino aut usufructuario non detraheret. Nec tamen eadem servitutum quoque realium, seu earum, quae praediis debentur, ratio est, quippe quorum quidem aliqua amenitas, sed voluptas nulla



la dici potest. Proinde servitutes reales utique acquiri possunt prædiis, ut amœnitatem illis concilient; qualis & prospectus, *l. 15. seq. ff. d. servit. prædior. urban. & aquæductus in l. 3. pr. d. aqu. quot. & æstiv. ibi: amœnitatis causâ.* eò quòd hæc etiam rebus *inanimatis*, (non ita voluptas) insit; atque hinc utilitas tantò major, prout unicè reales servitutes *utilitatis* causâ constitui debent, *l. 15. ff. d. servit. junct. l. 19. eòd.* dominanti prædio adveniat. Sed ut præter *amœnitatem*, (quæ quidem non minùs *hominum* usui, indeque usufructuario, *d. l. 16. §. 1. vers. sed si amœnitas. quod vi aut clam.* uti quodlibet emolumentum & commodum aliud, inservit,) alicui prædio voluptatem concilient, per naturam rerum fieri non potest: ceu confidenter Paulus J.C. in *l. 8. pr. ff. d. Servitut.* asserit. Nonnunquam verò *persona* quid voluptuarii debetur, quod ne quidem servitutem personalem redolet, verùm simplici jure *personali obligationis* continetur; puta si ad *debitoris personam* referatur permissio, (licèt non ad actus quoslibet permissionem debitoris haberi oporteat,) indeque illa vinculo constringatur, non æquè res aut fundus seu prædium aliquod: atque hoc aliquando rei, cujus gratiam facit debitor, conditio postulat; ut in *l. 13. pr. commun. prædior. ubi Ulpianus: mari,* ait, *quod naturâ omnibus patet, imponi servitus privatâ lege non potest.* Quod quidem discrimen cum cæteris, quæ in hõc articulo expendenda veniunt, ad *d. l. 8. ff. d. Servitut.* uberius pertractabit Clarissimus Honorum Supremorum in utròque Jure Candidatus


DN. IOHANNES CHRISTOPHORVS THILL,

Patriam




Patriam is nactus est Pofonium, Hungariæ liberam regiam-  
que urbem, & inferioris Metropolim. Parens ei fuit IOHAN-  
NES GEORGIUS THILLIUS, Sacræ Cæſaræ Majestatis Æ-  
rario militari Aulico quondam Præfectus, filius IOHANNIS  
VLRICI THILLII, in Ducatu Württembergico Prætoris pro-  
vincialis, ſacrorumque redituum Dornſtettensium olim Quæ-  
ſtoris. Mater ROSINA SCHÆNKERLIA, VALENTINI  
SCHÆNKERLII, exterioris Senatûs Viennensis Aſſeſſoris  
filia. Hiſce piis Parentibus An. 1659. d. 25. Martii in lu-  
cem editus, ſacrisque baptiſmatis initiatus, ſub Parentum  
deinde Præceptorumque curâ adolevit, donec An. 1663. fe-  
rale illud, quod Auguſtiſſimo Cæſari ac Imperio cum Tur-  
cis interceſſit bellum, Parentibus ejus anſam ſuppeditârît  
mutandæ ſedis; cumque ob variam, inprimis religionis, ſtu-  
diorum ac habitandi commoditatem è patria fugientes in-  
vitaret inclyta Ratiſbona, alteram ibidem patriam unâ  
cum ſuis invenit, & in Gymnaſium poëticum delatus, per  
aliquot annos, ſideli ac ſedulâ Præceptorum curâ literis in-  
nutritus eſt. Quorum omnium induſtriam, uti perpetuâ  
pietate ætatem agnoſcit; ita inprimis ſibi gratulatur de ſi-  
deliſſima informandi dexteritate, Viri ampliſſimi & præ-  
clariſſimi, DN. IOHANNIS CHRISTOPHORI WI-  
DERI, Rectoris Gymnaſii laudati meritiſſimi, nunc p. m. ut  
& Viri maximè Reverendi, Ampliſſimi atque Excellentiſſi-  
mi, DN. SEBASTIANI KIRCHMAYERI, in inclyta  
Imperiali Rotenburgenſi hodiè Superintendentis, Conſiſtorii  
item ac Scholarchatûs Directoris graviſſimi, Profefſoris quon-  
dam Publici in Gymnaſio Ratiſbonenſi celeberrimi, ſub cu-  
jus aſpicio Philoſophiæ fundamentis imbutus, per genuinâ  
Ethices, Politices, Metaphyſices, Scientiæ naturalis, Sphæri-  
cæ, Logicæ ut & Oratoriæ principia, ad potiora in Acade-





miis continuanda per integrum triennium præparatus est. Cùm deinde Curia tutelaris illustris Reip. Ratisbonensis in locum Parentum piè defunctorum succederet, resque ipsius curare non fuerit gravata, consensu ac svasu ejusdem, ut & Dominorum Curatorum, Altdorffium concessit An. 1681. d. 12. Octobris, nomenque suum professus est apud Rectorem tum temporis Magnificum DN. JOHAN. ANTON. GEIGERUM, p. m. Institut. Imperial. quondam P. P. Ne autem solidiori in studio Juris eruditioni necessaria instrumenta deessent, primum vitæ Academicæ annum publicis Philosophicis Lectionibus impendit, inprimis *Politicis* Amplissimi atque Excellentissimi DN. M. GEORGII PAULI RÖTENBECCII, Polit. & Logic. P. P. *Ethicis* Viri Reverendi maximè & suspiciendi DN. M. GEORG. ALBERTI HAGENDORNII, Diaconi ad D. Laurentii in illustri Noribergensium Republ., tum temporis Alumnor. Noric. & Oeconom. Inspectoris; sub cujus præsidio Dissertationem *de Philosophia in beando homine deficiente* publicè defendit: tum & *Chronologicis & Geographicis* Dn. M. IOHAN. CHRISTOPHORI STURMII, Mathemat. & Physf. PP. famigeratissimi. Sic vertente annò, postquam Jurisprudentiæ studio animum addicere seriò intendisset, cum gravi & periculoso morbo, *hæmoptysin* appellant Medicorum filii, per integrum biennium conflictatus est, in quo statu vitæ dubio, cùm mentis agræ sollicitudo corporis indispositionem haud parùm augetet, singulare tamen Omnipotentis DEI beneficium agnoscit, quod lecto non affixus studiis aliquantisper incumbere potuerit, Collegium quippe *privatum ad Institut. Imperial.* sub fidelissima informatione VIRI Magnifici atque Excellentissimi DN. GEORG. REICHARDI HAMMERI, Jcti Celeberrimi, Cod. & Jur. Feud. Prof. Ordinar.



nar. & Facult. Jurid. Senioris, (cujus & cœtera in se collata beneficia gratâ memoriâ ac pietate colit,) intra hoc tempus absolvit; ad reliquas autem Jurisprudentiæ partes transitum facturum, in medio studiorum cursu, Ratisbonam, ut rebus suis disponendis ipse præsens interesset, avocatus, ob varia interjecta obstacula & moras, ibidem per benè longum tempus subsistere coactus est. Quibus deinde ad optatum finem perductis liberiore spiritu & ardore, ad interiora Themidos mysteria pernoſcenda, in hæc Athenas Salanas An. 1687. d. 21. Aprilis, Rectore tum temporis Magnifico, DN. IOH. PHILIPPO SLEVOGTIO, Jcto atque Institut. nunc Pandectarum P.P. iterumque Pro-Rectore dignissimo, se contulit, cœptumque à me Collegium privatum ad Ius Univerſum amplexus, nostro consilio atque manuſductioni felicem studiorum suorum progressum lætus lubensque acceptum referre amat. *Lectiones* porro *Historicas* Nobiliss. Consultiss. & Excellentissimi, DN. GEORG. SCHUBARTI, J. U. D. & Eloquent. ac Poës. Prof. P. celeberrimi, aliaque Collegia ad scopum conducentia, frequentando, tum & Opponentis munere hîc & Altdorffii sæpius obeundo, tempus Academicum haud inutiliter consumsit. Cum verò totus labor noster & opera in quovis studii genere adhibita nil proſit, nisi communi vitæ & proximi utilitati inserviat, hoc autem sinè publico ac solenni Inclytæ Facultatis nostræ testimonio haud ita commode fieri posse crederet. Hinc ut exploratio profectuum ejus qualiumcunque auspiciis nostris institueretur, decenter petiit: cui honestæ petitioni postquam annuimus, in utroque examine, tam quoad doctam textuum resolutionem, quàm promptam solidamque dubiorum discussionem, dignissimum invenimus, qui ad Summos Honores Doctoreos admitteretur. Quibus ut eò propius admoveatur, commentationem  
solenn-



GA 77k 4287

\* o \*

solennem in Auditorio publico, ad praedictum Pauli JC. locum, crastina luce hora X. initurus est: cui ut interesse velint Magnif. Dn. Pro-Rector, ut & Magnif. Dn. Pro-Rector designatus, caeterique DNN. Professores ac Hospites, Facultatis nostrae nomine officiose & decenter expeto. P.P. Jenae  
sub Sigill. Facult. d. 3. August. ANNO  
M DC XC.



D  
1017





NICOLAUS CHR  
LYNCKE  
CONSIL. SAXON  
FAC. SENIOR, & h

L. S. P.

J E N.  
Literis Joh. Jac.

